

Coptolabrus augustus subsp. Antaeus (subsp. nova)

auctoribus

F. et G. Hauser.

C. Augusto subsp. **angulicollis** **G. H.** similis, sed multo maior, clytris opacis, prothorace minus angulatim dilatato.

Capite et prothorace violaceo-nigris, fronte et vertice fortiter punctato-rugulosis, fronte sulcisque frontalibus rufo-cupreis; **Antennis** ut in **augusto**.

Prothorace medio fortiter subangulatim, raro angulatim vel fere rotundate dilatato, longitudine sua 1,1 latiore vel longitudinis latitudine, antrorsum rotundate angustato, retrorsum profunde sinuato, angulis anticis a capite paulum distantibus, obtusis, angulis posticis lobuliformibus, leviter retrorsum, fortiter extrorsum productis, declivibus, apice leviter obtusis, rufo-cupreo-fulgentibus; foveolis ante hos plerumque profundis, impressione transversa manifesta coniunctis; lateribus latius quam in **augusto** typico explanatis, marginibus lateralibus antice et postice sat fortiter elevatis et crasse nigro-callosis, late et fortiter transversim rugulosis vel crenulatis, rufo-cupreo-fulgentibus (lumine a fronte incidente viridi-aureo-relucentibus), margine antico sinuato, nigro-callosa, intus angustissime rufo-cupreo, margine postico leviter arcuato, juxta lobulos posticos, sed nunquam medio, late rufo-cupreo; disco violaceo-nigro vel fere nigro, opaco vel subopaco, leviter convexo, subtilissime transversim longo-undulato-ruguloso (ut in **angulicollis**), linea media tenui, semper integra.

Coleopteris nigris, opacis, elongato-ellipticis (haud raro lateribus magis parallelis, humeris magis evolutis), latitudine in ♂ fere duplo, in ♀ 1,7—1,8 longioribus, plerumque valde convexis; limbo mediocriter lato, horizontaliter

explanato, antice leviter elevato, fortissime crenulato, aureo-smaragdino vel aureo, fulgidissimo, intus subtilissime rufocupreo marginato, sat longe ante apicem abrupto, deinde lateribus levissime sinuatis; mucrone longo, bicuspidato, crebre leviter sursum reflexo; tuberculis primariis permagnis, nigris, nitidis, valde convexis et valde prominentibus (fere ut in *C. pustulifero*), subrotundis vel magis elongatis, sat numerosis (in serie prima 8—11), plerumque costulis manifestis (interdum fere obsoletis) coniunctis, nunquam granulis superficiei confluentibus; tuberculis secundariis nigris, nitidis, perparvis sed plerumque bene evolutis, creberrimis, lineas flexuosas tubercula primaria sequentes vel fere rectas formantibus (interdum minimis, seriebus externis fere obsoletis); tuberculis tertiariis minutissimis sed plerumque perspicuis, lineas breves irregulares formantibus granulisque superficiei irregulariter confusis; superficie subtilissime, sed sat confertim ruguloso-granulato.

S u b t u s niger, prothoracis episternis obsolete, sterno medio sat fortiter transversim rugulosus, sterno, mesothoracis episternis elytrorumque epipleuris plerumque violaceo-relucentibus, episternorum epipleuris postice, elytrorum epipleuris margine inferiore magis minusve purpureis, coxis anticis purpureo-cinctis.

P e d i b u s perlongis, sat fortibus, nigris, femoribus posticis in ♂ fere abdominis apicem attingentibus, tibiis paulo longioribus, tarsis tibiis paulo brevioribus, *t a r s i s* anticis in ♂ minime, crebre haud dilatatis.

Long. ♂ 44—52, ♀ 47—55 mm.

Lat. ♂ 27,5—32,5, ♀ 28,5—32,5 mm.

In montibus inter Chnae prov. Hunan et Quantung.

Haec subspecies *C. augusti* Bat. eadem ratione mutata est ut *C. coelestis* St. subsp. *giganteus* Born.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Entomologische Zeitung Stettin](#)

Jahr/Year: 1914

Band/Volume: [75](#)

Autor(en)/Author(s): Hauser Gustav, Hauser Fritz

Artikel/Article: [Coptolabrus augustus subsp. Antaeus 157-158](#)